DE VARIIS ICTERI CAUSIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE VIII. M. MAJI A. MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
PETRUS RHEINEN
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
GUST. DAVIDS, MED. ET CHIR. CAND.
FRID. PULLER, MED. ET CHIR. CAND.
BERNH. SCHLEGTENDAL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Nonnullos fore haud dubito, qui probro mihi vertendum censeant, quod de morbo antiquitus noto et sexcenties pertractato opusculum inaugurale conscripserim. — Non omnis vituperii me expertem esse, ingenue fateor, etenim materies, de qua scripsi, multum habet ardui, imo aliquid obscuri, in quo illustrando haud pauci iique haud mediocres viri, frustra desudaverunt. Quod igitur sibi velit artis medicae tiro, qui tam eruditionis laude quam experientiae ubertate destituitur, multi interrogabunt. — Scire autem oportet, me proprio ex penu pauca tantum desumsisse, sed magis polemice rem pertractasse, ita ut, quas varii auctores de morbo icterico

protulerunt, sententias apposuerim easdemque, prout mihi vel placebant vel displicebant, aut probare aut refutare studuerim.— Pathogeniam enim icteri recentiorum medicorum, inprimis physiologorum, conaminibus, si non ad liquidum perductam, tamen in multo clariore luce positam esse existimo. — Ceterum Lectores aequos et candidos me habiturum confido, qui non omnia, summae perfectionis nota carentia, plane abjiciant et condemnent, sed virium juvenilium imbecillitate multa excusari credunt. —

Icterus, quem nonnulli pro symptomate magis aliorum morborum, quam pro idiopathico morbo habent, illa cutis coloratio abnormis magis minusve flava, interdum viridiuscula, imo, quod rarius accidit, nigricans (Schwarzsucht, Icterus niger, Melasicterus) vocatur, quae modo in tota corporis superficie, modo in majori ejusdem parte, fere semper autem in tunica oculorum albuginea, sese ostendit. — Quacum coloris cutanei mutatione variae functionum anomaliae, aut leviores, aut graviores, apparent. — Celsus *), qui icterum vocat morbum regium, morbum arquatum, s. arcuatum (a similitudine coloris cum arcu coelesti, s. iride), haecce ejus symptomata communia describit: »Soletque accedere et sitis et dolor capitis et frequens singultus et praecordiorum dextra parte durities et, ubi corporis vehemens motus est, spiritus difficultas membrorumque resolutio;

*) Corn. Celsi de medicina lib. VIII. ed. Albers et Ritter p. 108.

atque ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit.« Si plurimorum scriptorum auctoritatem sequimur, communia symptomata haec sunt: indispositio universa coenaestheseos, animus demissus, tristis, morosus, languor, horripilationes cum aestu intercurrente, pulsus rarus, saepe tardissimus, cutis pruritus inimicissimus, praesertim nocturno tempore, quem tantum ineunte et exeunte morbo observari, nonnulli contendunt. — Urina spumosa est, flava, lintea chartamque albam luteo colore inficit, adjecto acido muriatico viridis redditur, interdum sedimentum furfuraceum offert; alvus tarda est, faeces argillaceae, siccae, albido-cinereae, nonnunquam parum aut nihil mutatae. — Praeterea aegroti magis minusve conqueruntur ructus acidos, ventriculi oppressionem, hypochondriorum inflationem atque tensionem; accedit anxietas praecordialis, spirandi difficultas, interdum singultus, tormina ventris, affectiones colicae. —

De icteri pathogenia inde ab antiquissimis temporibus scriptores quam maxime dissenserunt, quare morbi divisiones modo a coloris icterici gradu, modo a febri concomitante, modo a causis remotis desumebantur. — Jam Hippocrates icterum pyreticum, apyreticum atque criticum distinxit. —

J. P. Frank *) icterum oriri tradit morbosa bi-

*) J. P. Frank Behandlung der Krankheiten des Menschen. Berlin 1835. 4. Bd. §. 910.

lis retentione, eumque morbis retentionis adnumerans, retentionem hepaticam vocat. — Pro causis hujus retentionis bilem habet inspissatam, ductus biliferos membranarum crassitie coarctatos, vasorum biliferorum compressionem, collapsum et obliterationem vasorum, spontaneas eorum contractiones, denique atoniam et inertiam vis vitalis in organis cholopoeticis. —

Si numerosos meditamur morbos, in quibus magis minusve cutis coloratio flava observatur, excrementorum vero indoles impeditae bilis in duodenum effusioni repugnat; imo si casus intuemur, in quibus auctae excretiones biliosae ineunte morbo apparent; icteri originem non a sola cholopoeseos diminutione deducendam esse, fateri debemus. — Etiamsi concedamus, icterum iis in exemplis, quibus calculi biliarii sunt incarcerati, vel ductus choledochus obliteratus, hac ratione exoriri, multos tamen casus existere non dubitabimus, in quibus morbi genesis aliam explicationem desideret. —

G. A. Richter *) icterum pendere opinatur ab abundantia principii biliosi in sanguine et reliquis corporis humoribus bilisque defectu (plerisque certe in casibus) in tubo intestinali. Reil et Fourcroy bilem in sanguine praeexistere contendunt, cujus secretio in hepate ineunte ictero suspendatur, quo fiat,

*) Die spezielle Therapie v. Dr. A. G. Richter, Berlin 1813. Bd. 4. p. 237.

ut actione vicaria vel ejusdem secretio, vel abundantia particularum biliosarum sanguini insitarum, in vasis cutaneis existat et hocce modo flavus cutis color oriatur. — Cui sententiae Richter ita refragatur, ut in sanguine sano nullum particularum biliosarum vestigium deprehendi, in ictero autem non modo in sanguine, verum etiam, auctore Clarion *), in aliis corporis humoribus bilem, nonnunquam sat multam, inveniri dicat. — Idem refutare conatur eorum opinionem, qui bilem ex vesicula fellea resorberi et per universam humorum molem diffundi censent **); provocat enim ad exempla, in quibus cadaverum vesicula fellea vel bili referta hujusque excretio in duodenum impedita, sine ullo inter vitam signo icterico, vel in summo icteri gradu tantum vesicula exigua, bilem paucam et dilutam continens, invenitur; imo hominem quendam ictero mortuum vesicula fellea plane caruisse affirmat ***). Proinde Richter veterum sententiam, qui bilem, in ictericorum sanguine contentam, in hepate secerni, ibidem autem resorberi et in humorum circuitum reduci contendebant, a vero proxime abesse censet. — Interrogare autem licet, cur vasa lymphatica in ictero tantum bilem in hepate absorbeant et in humorum molem revehant? Multi causam ponendam esse

*) Allgem. mediz. Annalen von 1807. p. 37.

**) Marcard II. l. c. p. 103.

***) A. G. Richter, mediz. Bemerk. Bd. I. p. 31.

dicunt in obturatione ductuum biliferorum, quae, quominus hoc secretum in duodenum effundatur, impediat; quod quidem auctore Richter non absolute verum est. — Saepe quidem, ait, ductus biliferos in ictero obturatos inveniri, eosdem vero in cadaveribus haud raro pervios atque normales apparere *). Non semper alvi obstructionem, imo vero interdum diarrhoeam biliosam satis copiosam esse conjunctam; denique ductus biliferos interdum revera clausos nominatim calculis biliariis obstructos, sed nullum icteri vestigium reperiri, tradit. — Quam ob rem Richter icterum irritamento quodam hepar afficiente oriri contendit. — Tale, inquit, irritamentum simul uberiorem bilis secretionem efficit actionemque perversam vasorum absorbentium, quae hoc in casu bilem praeter normam excipiunt, simulque ductuum biliferorum obturationem efficiunt. — Affectionem igitur spasticam hepatis ejusque ductuum excretoriorum in unoquoque ictero magis minusve locum arbitratur. — Argumenta, quibus sententiam suam fulciri dicit, haec sunt: animus maxime demissus, oppressionis et angoris sensus circa ventriculi regionem, rapidissimum coloris flavi augmentum (saepe intra noctem), si illa symptomata majorem obtinent gradum, remissiones, intermissiones crebrae, evolutio citissima icteri inter spasmos universales et convul-

*) Stoll rat. med. Vol. III. p. 631 — 366.

siones, variae morbi icterici causae, quae certissime spasmum efficiunt, ut graviora animi pathemata, inprimis ira, stomachatio, refrigerium, prae omnibus denique juvantia et nocentia, nempe usus egregius remediorum sedantium; antispasmodicorum. — Si spasmi notionem ita extendimus, ut non modo cuilibet irritationi, verum etiam cuique inflammationi, spasticam affectionem systematis vasorum capillarium subesse dicamus, sane multis in casibus morbus ictericus hac ratione explicari posse videtur, sed quod ad me pertinet, spasticam illam affectionem in haud paucis exemplis pro effectu potius, quam pro causa habendam, saepe igitur longe alium esse fontem censeo, ex quo morbus iste profluat. —

Schoenlein *) icterum familiae dyschymosium adnumerat, quarum focus nonnisi in organis secretoriis collocandus sit. — Proinde icteri genesin bilis secretione in hepate diminuta et paulatim plane suspensa explicat, quippe quo fieri putat, ut per antagonismum secretio sub cute et in renibus adaugeatur. — Eodem gradu, ait, quo in morbo icterico bilis secretio in hepate minuatur, secretionem sub cute intendi duasque partes constituentes essentialiter differentes cum sanguine communicari: primum secretionis normalis productum, in hepate paratum formaque liquida indutum, deinde materiem, quae ipsius

*) Allgem. und spezielle Pathologie und Therapie nach J. L. Schoenlein. Würzburg 1832. Vol. 3. p. 306.

hepatis sit, nempe bilis pigmentum. — Effici putat icterum consumtione substantiae hepaticae, et ambitum et pondus et massam ejusdem imminui dicens, quo tandem fiat, ut hepar modo telam cellulosam habeat, sanguinis paulatim inops reddatur et per hanc anaemiam partium sanguinem advehentium lumen contrahatur. — In hisce deinde causam ponendam esse affirmat, quod bilis pigmentum non modo in cute externa, sed etiam in tunicis serosis, majores corporis cavitates investientibus, in tunica intima arteriarum atque venarum, in membrana mucosa vesicae urinariae, ureterum et renum simili ratione deponatur, qua in dysmenorrhoea sanguinis aut in ventriculo, aut in pulmonibus, aut in cerebro secernatur, prout congestiones vel ad hoc vel ad illud organorum dictorum ferantur. — Quanquam hic icterum explicandi modus plurimum probabilitatis habet, et praecipue cutis color flavescens, qui sugillationes sequitur, pigmenti bilis praesentiam in sanguine testari videtur, etiamsi non semper chemicis analysibus hancce materiem investigare licet, quod fortasse ejus paucitati imputandum est; quanquam porro nonnullarum icteri specierum origo hacce ratione bene explicatur: inficias tamen ire nequimus, theoriam illam multis in casibus ad illustrandam morbi nostri genesin haud sufficere, imo magnam symptomatum catervam eidem e diametro repugnare. — Icterum etiam oriri scimus, si vomitus biliosus et diarrhoea

biliosa nec bilis in hepate secretionem, neque ejus in duodenum effusionem inhibitam esse testantur; exempla quoque innotuerunt, in quibus, ictero per longum tempus protracto, ne minimum quidem atrophiae hepatis vestigium reperiebatur. — Hoc igitur certo constare videtur, icteri originem non a sola bilis secretione et excretione impedita esse repetendam, sed varia existere momenta, quae morbum nostrum excitare valeant. — Nonne enim febris biliosa epidemica auctam bilis effusionem in tubum intestinalem probat, quae vomitu et diarrhoea biliosa manifestatur? Nihilominus hisce in casibus interdum sat magnus icteri gradus exoritur. —

Pemberton*) icterum impedita bilis e vesicula fellea effusione oriri bilemque retineri putat morbosa crassitie parietum ductus choledochi, quae vel inflammatione, a finitimis partibus cum vesicula communicata, vel idiopathica hujus cystidis inflammatione producatur. — Quam tunicarum crassitiem ductus choledochi diametrum adeo coarctare posse dicit, ut tandem nulla amplius bilis ad intestinum duodenum devehatur et sic icteri insanabilis causa saepe constituatur. — Hancce ductus choledochi conditionem esse opinatur, si morbus ictericus vehementior pertinaciorque sit et si aegrotus vel nullum vel exiguum dolorem in ventriculi regione conqueratur. — Majo-

*) Praktische Abhandlung über verschiedene Krankheiten der Unterleibsorgane v. Ch. R. Pemberton. Bonn 1836. p. 32.

rem enim icteri gradum argumentari dicit, normalem hepatis functionem non esse turbatam. — Neque minus tumores scirrhosos, tam hepatis quam pylori, sola compressione ductus choledochi bilis excretionem in tubum intestinalem impedire posse refert. — Praeterea, eodem auctore, ductus biliferi spasmodicis affectionibus, aut calculis biliariis claudi, indeque exorta bilis retentione icteri symptomata induci possunt, id quod partim ex dolore repentino ac vehemente praecordiorum, partim ex eo cognoscatur, quod aegroti summo fruantur levamine, si corporis truncus antrorsum versus genua inclinetur. Quod icterus interdum non oriatur, si calculi biliarii ductibus biliferis inhaereant, Pemberton ita explicari posse dicit, ut ductus per angulatam calculorum formam haud ex toto obstruatur. — Huic theoriae eadem fere, quae ante dictis, exprobranda sunt: etiamsi enim nonnulli morbi casus hoc modo bene explicentur, multi tamen supersunt, in quibus icterus nunc gravior nunc levior citra unam alteramve causarum, quas enumeravimus, apparet. — Exempla supra memorata, quae Richter describit, ductus choledochi obturationem non solam icteri causam exhibere, certissime nobis persuadent, quippe in quibus vesicula fellea deficeret. — Nec minus illi casus pathologici, in quibus totum hepar nihil nisi abscessum obtulit, itaque bilis secretio secretaeque retentio locum habere non potuit, abunde comprobant, non e sola bi-

his secretae refusione in sanguinem, verum etiam e sanguine ipso, ex parte saltem, icteri causam esse repetendam. — Nonne flavum cutis colorem persaepe majores sanguinis congestiones ad peripheriam sequi videmus, imprimis si sanguis effusus paulatim resorbetur? nonne hoc ex fonte color profluit flavescens, qui sugillationem et cutis inflammationem, praesertim erysipelas, excipit? Hanc ob causam **Richter** in omnibus ejusmodi casibus icterum ex vitiosa sanguinis universi mixtione, nominatim ex carbogenii et thermogenii abundantia, derivandum censet. — Hoc quidem constat, dictis in casibus icteri causam non in hepate, sed in ipso sanguine, ex parte saltem, esse collocandam. — Fortasse etiam neonatorum icterus hac ratione optime explicatur, quum infantulorum cutis primum purpurea, dein fusco-rubra, elapsis autem aliquot diebus, magis minusve flavida, aut rubello-lutea, orichalcea, cuprea evadat. Quodsi enim cutis functionem valde mutatam meditamur, quippe quae in foetu aqua undique circumdata nonnisi organi absorbentis loco fungatur, inde a partu autem, ubi cum aëre atmosphaereo commercium init, in organon perspiratorium convertatur, excernendis quibusdam materiis inserviat, itaque mutationem functionis prioris vasorum exhalantium atque absorbentium sistat, — si haec omnia meditamur, inquam, suspicari forsan licebit, in ea functionis perturbatione, quae mutata vasorum exhalantium et absorbentium directione ef-

ficitur, stagnationis sanguinis causam esse collocandam eoque modo flavum cutis colorem perinde induci, ac sugillatione. Cui opinioni multum probabilitatis additur eo, quod Gmelin, Boudet et alii cholesterinum (adipis modificationem) in sanguine detexerunt. Haud dubie bilis mixtione sanguinis laete rubicundi, qui est in arteria hepatica, cum sanguine purpureo, quem vena portarum continet, formatur et in circuitu, quem per hepar emetitur, excernitur *), ita ut cum reliquo sanguinis circuitu non communicetur ejusque vestigia in sanguine frustra indagentur.

Abercrombie **) icterum oriri perhibet refusione bilis in sanguinem, istamque conditionem plerumque conjunctam esse impedimento, quod bilem ex hepate in duodenum promte effundi non patiatur. — Icteri pathogeniam nonnullis in casibus magnis tenebris obfuscari largiens, causas occasionales fere has esse dicit: calculi biliarii per ductus biliferos transitum, hepatis affectiones inflammatorias, tubi intestinalis morbos, animi pathemata graviora, morbos hepatis chronicos, tumores aut alia organorum finitimorum vitia. Ut calculi biliarii icterum proferre possint, eosdem, ait, dum permeent ductum biliferum aliquem, diutius ei immorari et per aliquod tempus

*) Handbuch der Physiologie des Menschen von Dr. J. Müller. Coblenz 1834. p. 438.

**) J. Abercrombie's Untersuchungen über die Krankheiten des Unterleibs v. G. von dem Busch. Bremen 1830. p. 488.

eum obstruere debere. In his etiam causam cerni contendit, quod interdum, si calculi biliarii breviori tempore per ductum descendant, morbum ictericum existere non posse, etiamsi graviora appareant symptomata. Tempus, quo calculo opus sit, ad icterum producendum, non definivit; idem enim variis in casibus varium esse tradit. In morbis hepatis inflammatoriis tunc praecipue icterum oriri affirmat Abercrombie, cum inflammatio vel in concava hepatis superficie, vel prope eam sedem habeat. Quum casus sint descripti, in quibus tantum coloratio nigra aequabilis totius superficiei hepatis inveniebatur, partes ejus interiores vero integritatis perfectae speciem prae se ferre videbantur, dum color corporis ictericus admodum saturatus locum habuit; quum porro alia observata sint exempla, in quibus signa vehementissimae inflammationis, in suppurationem conversae, sine ullo icteri vestigio exstabant, quamquam universum hepar nonnunquam morbo affectum cernebatur; quum denique nigra hepatis degeneratio cum eximia voluminis diminutione icteroque colore maxime saturato, altera vero ex parte hepatis emollitio cephaloidea cum symptomatibus morbosis multo acutioribus sine icteri phaenomenis interdum apparuerit: Abercrombie hepatis affectionem propriam ictero subesse putat, quae non in vera inflammatione consistat, attamen ab ea proxime absit. — Talem affectionem praecipue demonstrari posse, Abercrombie existimat, si icterus cum inflammatione

partis inferioris pulmonis dextri occurrat, ubi scilicet nullus hepatis morbus animadvertatur, si ab eo discedas, quod ejus superficies aliquanto pallidior solito esse videatur. Verosimile etiam esse arbitratur, hepar simili ratione alias per causas, quae sub sensus nostros non cadant, affici posse. Hoc modo, ait, partim icteri transitorii casus, quibus gastricae perturbationes subsint, partim ea exempla, in quibus aestus producat icterum et quae ex bilis abundantia derivari soleant, posse explicari. Icterus cum cordis morbis junctus auctore Abercrombie haud dubie per impeditum sanguinis ex hepate refluxum originem ducit. Morbis tubi intestinalis icterum saepe exoriri, Abercrombie non diffitetur, quamquam modum, quo hisce in casibus conformetur morbus, non facile dilucidari posse existimat. Sententiam eorum, qui icterum gravioribus animi pathematibus excitatum spasmo effici contendunt, Abercrombie refellit, meram esse dicens hypothesin, qua omnia, quae non intelligantur, auctores explicare studeant; rebus tantum in facto positis fidendum esse censet. Animum vero ad subdolam hujus mali, quod tam leve videatur, indolem attendit et exempla allegat, in quibus icterus, hisce causis exortus, mortem attulerit. Ad causas icteri diuturni refert hepatis morbos chronicos vel tumores, nec non partium finitimarum vitia, imprimis intumescentias lienis et pancreatis, producta morbosa pyloro adhaerentia, crassitiem aut in-

durationem tunicarum intestini duodeni, tumores varii generis, ductum choledochum comprimentes etc. Quodsi numerosos intuemur casus, in quibus major minorve icteri gradus apparet, inficias ire non licet, in multis eorum causas ab Abercrombie enumeratas esse agnoscendas, morbi vero originem hoc modo posse explicari, neminem fore existimo, qui contendat. Multa enim exempla luculentissime nobis persuadent, causas diversissimas vim suam exseruisse, ita ut haud semper, imo ne saepe quidem, icteri pathogenia duce Abercrombie illustrari queat. Quum hepatis perscrutationes anatomicae, recentiori tempore institutae, docuerint, acinos hepatis e multifariis canaliculorum biliferorum ramificationibus consistere, qui, in densas catervas coacti, ex alto emergentes et versus peripheriam diffluentes, surculorum instar dividuntur, minime vero attenuantur et, si hepatis substantiam accuratius exploraveris microscopio, e multis coecis intestinulis, sive brevibus surculis constare videntur, colore albo flavo praeditis, magnoque numero e substantia ceterum sanguineo-rubicunda emergentibus; quum porro injectiones demonstraverint, arteriam hepaticam venamque portarum in hepate anastomoses inire et in vasorum capillarium rete transire, quod canaliculorum biliferorum surculos circumvolvit (quos quidem arteriae hepaticae et venae portarum ramulos Kiernan*) venas in-

*) Mueller l. c. p. 429.

terlobulares vocat), et in interioribus singulorum lobulorum (Kiernan), seu acinorum, canaliculum centralem decurrere, s. venulam interlobularem (Kiernan), i. e. ramulum venae hepaticae, qui sanguinem ex reti capillari cujusque lobuli revehit: ex hac singulari structura icterum illis in casibus explicari posse arbitror, in quibus non diminuta, imo vero adaucta bilis secretio, ceterum autem pathologicae mutationes non in substantia hepatis centrali, sed in ejus peripheria animadvertuntur. In ictero, qui ad superficialem hepatis inflammationem accedit, ex majore sanguinis ad hepar congestione semper bilis secretionem adaugeri, ut mihi quidem videtur, recte contendi potest. Quae secretio adaucta si majore sanguinis impetu ita intenditur, ut canaliculi biliferi felle secreto turgeant ejusque excretionem, uti par est, efficere non valeant, plus minusve bilis per venulas interlobulares excipitur et in sanguinis circuitum reducitur. Quemadmodum vero natura ubique materias anomalas e corpore eliminare studet, ita hoc etiam in casu materiam alienam sub cute, in renibus etc. deponit. In his etiam causa ponenda videtur, quod Abercrombie icterum magis observavit, si hepatis superficies, quam si totum ejus parenchyma affectum erat, nam secundo in casu bilis secretio haud dubie sublata esse videbatur. Huc pertinet casus centesimus undevicesimus ab Abercrombie narratus, quippe in quo post icterum gra-

viorem tantummodo hepatis superficies affecta, partes internae autem sanae invenirentur et vigente morbo excrementa copiosa bile remixta redderentur. Eodem modo icterum excitari judicandum est, si cum inflammatione partis inferioris pulmonis dextri consociatus occurrit. Haud dubie enim his quoque in casibus adauctus sanguinis impetus ad hepar exoritur. Exemplum huc spectans Abercrombie observavit: inferior pulmonis dextri pars abscessum obtulit, qui cum diaphragmate contactum inierat; quod ad hepar attinet, modo in superficie ejus mutatio pathologica exsistit. Quodsi hac parte rem intuemur, fortasse exempla nonnulla icteri transitorii, organorum gastricorum perturbationibus exorti, nec non illi casus, in quibus morbus nimio aestu excitatur et a bilis secretae abundantia derivatur, explicari possunt. Quemadmodum enim omnia organa cum certa quadam tempestatis constitutione singularem alunt necessitudinem, ita haud dubie sanguinis impetus ad hepar calore adaugetur. Quamdiu inter adauctum sanguinis impetum et bilis secretionem justa proportio intercedit, icterus non oboritur; sin vero nimium sanguinis paulatim advehitur, haud dubie plus fellis conficitur, quam ductus biliferi educere possint, quo fit, ut venulae interlobulares bilis partem e canaliculis biliferis recipiant eamque in sanguinis et humorum circuitum revehant.

Icterus cum vitiis organicis dextri cordis con-

junctus ex impedito sanguinis venosi refluxu inde ab hepate oriri videtur, siquidem sanguis per venulam interlobularem reducendus per longius tempus cum canaliculis biliferis contactum init eoque modo bile iterum impraegnatur. Ex his etiam pathogeniam repetere licet icteri, qui, gravioribus animi pathematibus excitatus, plerumque per spasmum ductuum biliferorum explicari solet. Haud dubie hisce in casibus cor organon primitus affectum sistit, quo efficitur, ut minus sanguinis refluxus impediatur, quam ejus affluxus ad hepar augeatur. Talem affluxum adauctum ad hepatis parenchyma revera locum habere, ex casu ab Andral narrato luculenter patet. Quoties enim aeger morbi cordis symptomatibus vehementius exacerbatis tentabatur, facile hepatis inflatio inter insultum et, paroxysmo sanguinis detractionibus sublato, collapsus ejusdem exploratione sentiebatur. Eandem esse causam icteri refrigerium et cutis suppressam transspirationem secuti, probabile videtur, etenim sublata materiarum secretione per vasa cutis exhalantia, sine dubio normalis sanguinis ad eam affluxus sistitur et per nexum consensualem, quem assimilationis inferioris organa, ut tubus intestinalis et prae ceteris systema cholopoeticum, cum cute alunt, auctus sanguinis impetus ad hepar inducitur.

Magnis difficultatibus premitur explicatio nosologica icteri, cum organicis hepatis morbis conso-

ciati, v. c. cum variis emollitionis gradibus, cum indurationibus, hypertrophia, atrophia aliisque in hepate obviis degenerationibus, etenim icterus hisce in casibus modo adest, modo abest. — Varios hujusmodi casus apposuit Abercrombie, in quibus partim icterus colore maxime saturato insignis, partim ne minimum quidem hujus morbi vestigium animadvertebatur. — Proinde auctor, ut supra jam memoravi, singularem quandam hepatis conditionem existere putat, quae hancce mutationem inducat icterumque excitet, in vera autem inflammatione haud consistat, sed ad ejus similitudinem tantum accedat. — Quibus hepatis mutationibus pathologicis quum semper processus magis minusve inflammatorius, etiamsi minus exquisitus, antecesserit, in hac status vitalis mutatione id videndum esse existimo, utrum functio hepatis secretoria alienata sit, nec ne. — Si vasorum systematis actio aliqua in parte adaugetur, functiones quoque secretoriae ad debitum gradum, qui adauctae actioni respondeat, evehuntur. — Quodsi igitur vasorum hepaticorum actio ad hunc usque gradum intenditur, cum substantiae hepatis mutatione bilis secretionem adaugeri videmus, quae in sanguinem simul recipitur icterumque gignit. — Hac ratione, ut mihi quidem videtur, icterus exoritur, qui fabricae hepatis alienationibus supervenit. — Sin vero systematis vasculosi actio ad illum gradum non evehitur, quo ad adaugendam hepatis functionem

secretoriam opus est, mutatione quidem processus nutritii substantiam jecinoris degeneratam, minime vero icterum deprehendimus. — Huc illa exempla referenda esse puto, in quibus emollitio, abscessus hepatis etc. reperiebantur, quorum praesentia inter vitam parum se manifestabat nullaque icteri vestigia proferebat. — At vero systematis vasculosi actio tanta esse potest, ut secretoria hepatis functio penitus tollatur; vel, quemadmodum vasa tunicarum serosarum in inflammationibus acutis lympham aut pus secernunt, ita his in casibus, ob ingentem sanguinis copiam in hepate, plus minusve sanguinis in canaliculos biliferos effundi potest. — Huc illos refero casus, in quibus degeneratio hepatis cum symptomatibus peracutis, sed sine ictero, apparet; nec non eos, in quibus, deficiente morbo icterico, hepatis affecti symptomata minus perspicua se ostendunt et post mortem hepatis substantia interna coloris albi aut cinerei, substantiae cephaloideae similis, passim consistentiae pultaceae, reperitur. — Hisce in casibus adaucta systematis vasorum actione jam eam sanguinis mutationem inductam esse arbitror, ut bilis loco materia puriformis secernatur et a canaliculis biliferis excipiatur; ubi vero color hepatis fuscus, paene niger, cum emollitione substantiae invenitur, sanguinem non ita mutatum esse existimo, quin bilis, eaque copiosior, adhuc secernatur. — Huic opinioni plurimam fidem addit casus centesimus vicesi-

mus quartus ab Abercrombie enarratus, in quo magnus icteri gradus inter vitam vigebat, inciso autem cadavere hepatis substantia maxime opaca, fere nigrescens, intus autem mollis et desorganisata, sanguini coagulato similis, deprehendebatur. —

Quanam ratione icterus cerebri affectionibus et capitis laesionibus evocetur, difficile est diremtu. — Contendunt quidem, sicut alias affectiones spasmodicas, ita etiam causas modo memoratas contractione spastica ductuum biliferorum excitare morbum ictericum. — Perperam vero judicare videntur, qui ad icterum, iracundia aut aliis animi pathematibus gravioribus inductum, provocantes, causam tantummodo in spastica ductuum biliferorum contractione ponendam opinantur. — Nonne hisce in casibus per intimum commercium, quod cerebrum et sanguinis circuitus alunt, cor primitus affectum ejusque actione magis minusve turbata sanguinis circulum in hepate cohibitum et hoc demum modo icterum exortum esse dicas? Quam theoriam eo magis defendi posse arbitror, si meditamur, affectiones illas saepissime adauctam bilis secretionem sequi hepatisque abscessus, exinde haud raro exortos, nobis persuadere, largiorem sanguinis affluxum intensioremque actionem vitalem locum habuisse. —

Quod ad icterum attinet calculis biliariis excitatum, multi enumerantur casus, in quibus calculus incarceratus luculentissime probavit, icteri causam

in eo esse ponendam; neque vero desunt exempla, in quibus calculi incarcerati sine icteri symptomatibus inveniebantur. Hujusmodi casum memoratu dignissimum Abercrombie apposuit: calculo biliario in ductu choledocho incarcerato, aegrotus intra triduum sub inflammationis et ilei symptomatibus obiit, sed nullum icteri vestigium exstitit. Quum igitur calculi biliarii incarcerati modo icterum producant, modo non producant, Abercrombie, ut supra adnotavi, tunc demum icterum oriri existimat, cum calculus, antequam permeet, longius per tempus ductui bilifero immoretur; Pemberton autem figuram angulatam in causis esse tradit, si calculus incarceratus icteri symptomata non proferat. His quoque in casibus icterici morbi genesin magis minusve ab eo pendere existimo, quod mechanica bilis retentione canaliculorum biliferorum et reticuli vasculosi eos circumdantis irritatio vel efficiatur, vel non efficiatur, et quod adaucta systematis illius capillaris actione resorptio bilis ejusque refusio in sanguinem inducatur.

Icterum, qui febrem flavam comitatur, G. A. Richter*) a sanguinis in telam cellulosam effusione, cum sugillationibus atque petechiis comparanda, derivari posse censet; morbum vero eundem, injuriis

*) Die specielle Therapie von Dr. A. G. Richter. — Berlin 1813. Vol. 4. p. 245.

aëris epidemicis, aestu nimio eoque humido, temperamento atrabilari exortum, aut hominibus colore nimis flavo vel nigricante conspicuis supervenientem, e vitiosa sanguinis mixtione, praesertim e carbogenii atque thermogenii abundantia, repetit. Si reputamus, in febri flava haud raro maculas atropurpureas, per intervalla rursus evanescentes, saepe etiam efflorescentias miliares, in cute apparere, illa Richteri sententia de sanguinis in telam cellulosam effusione non plane temeraria videtur. Si praeterea eodem in morbo sanguinis missi colorem flavo-viridiusculum reperimus, si, augescentibus symptomatibus morbosis, naturae conamina, alvi excretionibus biliosis dolorificis materiam peccantem e sanguine eliminandi, intuemur, vix non fatebimur, effusionem sanguinis in telam cellulosam his quidem in casibus pro icteri causa occasionali habendam, intimam vero causam in sanguine ipso, i. e. in singulari ejus mutatione, epidemicis aëris injuriis producta, ponendam esse.

Ex omnibus, quae hactenus proposui, abunde apparere existimo, icteri genesin e turbata bilis effusione in tubum intestinalem, sive calculis incarceratis, sive spasmo, sive compressione efficiatur, parum apte posse explicari. Modo igitur in adaucta vasorum capillarium hepatis actione icteri causam collocare debemus, praesertim iis in casibus, in quibus alvi excretiones largae et vomitus biliosus im-

peditam bilis secretionem et effusionem refellunt; modo in cohibito sanguinis ad cor refluxu, id quod in morbis lateris dextri cordis, capitis laesionibus, aut animi pathematibus evenit; modo in specifica singulorum canaliculorum biliferorum et reticuli vasculosi, quo circumdantur, irritatione, quam bilis retentio mechanica per calculos, per tumores, per graviditatem, per morbos tubi intestinalis efficit; modo denique in peculiari ipsius sanguinis mutatione, qualis in febri flava haud dubie locum habet. —

V I T A.

Petrus Rheinen, natus sum Bleeshemii, provinciae Rhenanae pago, anno hujus saeculi octavo, parentibus dilectissimis Joan. Henrico et Mathilda e gente Bartels, quos ad hunc usque diem mihi servatos pio gratoque animo veneror; fidei evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus, per annos quatuor et dimidium Gymnasium Duisburgense frequentavi. Maturitatis testimonio munitus mense Majo anni MDCCCXXXII. ad almam Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli, ibique Rectore t. t. Magnifico Diesterweg in civium academicorum numerum receptus, a Decano spectatissimo Ill. Fr. Nasse in album medicinae studiosorum inscriptus sum. Sunt autem. quibus per quatuor annos interfui, praelectiones hae:

Philosophicae: De introductione in philosophiam, de logice ac psychologia disserentem audivi Ill. van Calker, de botanice Ill. Treviranus, de zoologia et zootomia Ill. Goldfuss, de mineralogia Ill. Noegge-

rath, de physice experimentali Ill. a Muenchow, de chemia experimentali Ill. G. Bischoff.

Medicae: De encyclopaedia et methodologia artis medicae Ill. J. Mueller, de osteologia atque anatomia universali et comparata, aeque ac de physiologia Ill. Weber, de anatomia generali et speciali Ill. Mayer, qui quoque in cadaveribus secandis cum Ill. Weber dux mihi fuit et moderator, de pathologia tam generali quam speciali, de morbis syphiliticis Ill. Albers, de morbis chirurgicis, de oculorum morbis atque de anatomia chirurgica Ill. Wutzer, de therapia generali et speciali, de cerebri et physiologia et pathologia Ill. Fr. Nasse, qui una cum Cel. Hr. Nasse in clinico propaedeutico mihi dux fuit, de arte obstetricia Ill. Kilian, de ossibus fractis et luxatis aeque ac de anatomia pathologica Cel. Hr. Nasse.

Practicae: Clinicum et policlinicum chirurgico-ophthalmiatricum duce Ill. Wutzer per annum dimidium adii, aeque ac clinicum obstetricium duce Ill. Kilian auscultans per annum, quo duce et in phantomate exercitationes institui; clinicum medicum duce Ill. Fr. Nasse per annum. —

Mense Majo anni praeteriti hanc almam literarum sedem Berolinensem petii, ibique Rectore t. t. Magnifico Ill. Busch in civium academicorum numerum receptus, apud Decanum t. t. spectatissimum Ill. J. Mueller nomen professus sum. — Hasce audivi lectiones: de anatomia pathologica Ill. J. Mueller, de medicina forensi

Ill. Wagner h. t. ord. med. decanum maxime spectabilem. — Praeterea exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis virorum Ill. Rust, Cel. Truestedt, Cel. Dieffenbach, Cel. Wolff interfui. — Quibus viris illust. et celeb. omnibus de me meritis gratias ago semperque habebo maximas. — Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES.

1. In laesionibus capitis gravioribus terebratio statim instituenda.
2. Omnes sanare morbos non licet.
3. In phthisi curanda methodus antiphlogistica primum tenet locum.
4. Inflammatio chronica nunquam simplex.
5. Non morbum, sed causam proximam curamus.
6. Mentiri medicum licet.
7. Vivum foetum perforare licet.
8. Funiculus umbilicalis est ligandus.